

intuetur; b) per praesentiam *similitudinis* rei, ut species sensibilis in oculo; et sic angeli res materiales et immateriales per ideas innatas cognoscunt; c) per praesentiam *rei similis rei cognoscendae*, sicut homo in imagine speculi cognoscitur; et sic angeli Dei et existentiam et naturam percipiunt tum in aliis angelis tum in sua essentia, quam perfecte intuentes simul etiam Deum, eius auctorem et finem, tanquam in speculo apprehendunt. Haec igitur angelorum cognitionis Dei est multo perfectior nostrâ, quia est *quasi immediata* i.e. in et cum eius *similitudine* percepta, non *mediata* et *discursiva*, sicut nostra ex effectu ad causam concludens;¹⁾ et est *continua* sicut cognitionis propriae existentiae.

6. Res vero *libere* futuras, cogitationes et secreta cordis, mysteriaque divina angelus non cognoscit, nisi a Deo ipsi revelantur; potest autem, sicut et nos, modo discursivo ex causis rerum vel effectibus multa concludere vel certo, ut effectus ex causa necessaria, vel probabiliter, si causa est libera. Itaque angeli et boni et mali multa, quae fiunt secundum leges naturae, praevidere possunt, quae nos latent, quia multo perfectiore cognitionem causarum naturalium habent, quam nos; possunt magna probabilitate conjectare, quid hic vel ille homo sentiat, cogitet, velit, ex motibus eius organicis sive ex actibus sensitivis, praesertim *ex phantasia*; possunt magna cum probabilitate praedicere, quid hic vel ille homo in his vel illis circumstantiis facturus sit, quum hominis vitam anteactam, eius inclinationes, vitae conditiones naturaliter cognoscere possint. Immo quum testes fuerint totius historiae humanae, bene sciunt, quid homines temporibus elapsis in his vel illis adjunctis semper fere fecerint, ac proinde in futurum iuxta communiter contingentia facturi sint. Unde patet, angelos et bonos et malos, si Deus permiserit, multa portentosa mirabiliaque et facere et praedicere posse, quae tamen proprie non sunt miracula.

Caput III: De finibus cognitionis nostrae.

Notio: Quamvis quinque nobis sint fontes cognitionis, et quidquid rationem entis habet, i.e. res tum materiales tum immateriales vel quoad naturam vel saltem quoad externam apparentiam percipere possimus, nostra tamen cognitionis ex multis causis terminis restringitur angustis:

1. *In genere*, quia cognitionis nostra intellectualis non est rerum intuitiva, sed oritur ex sensibus semperque fit per relationem ad sensations. Unde fit, ut res in tantum cognoscamus, in quantum vel per se ipsas, vel per effectus suos sensus nostros afficiunt. Itaque a) cognitionis nostra est *intensive restricta*. Quum ipsa rerum essentia sensus non afficiat, eam in se non intuemur, sed ex phaenomenis et effectibus tanquam eorum subiectum et causam vel immediate vel mediate apprehendimus. Unde non mirum est, cognitionem nostram de rerum natura esse, licet veram, obscuram tamen et

¹⁾ Cfr. S. Thom. c. gent. l. c. primo loco.

imperfectam. Iure igitur Aristoteles¹⁾ mentem nostram comparat oculo noctuae, quae lucem solis perferre non possit. b) Cognitionis nostra etiam *extensive* valde limitata est. Plurimae enim sunt res, quae neque per se neque per effectus suos sensus nostros afficiunt (neque solum res immateriales, sed etiam materiales) sive ratione nimiae magnitudinis sive nimiae parvitatis (atomii), distantiae localis vel temporalis. Multa igitur sunt obiecta, quae effugiunt nostram cognitionem, immo plura quam quae scimus, quod peritissimus quisque in sua arte fatetur (Newton²⁾, Linné et alii). Quare Plato nos comparat homini in fundo specus collocato, qui solum per angustum foramen lucem diei et mundi obiecta percipiat.

2. Cognitionis humanae limitata est *in specie*, i.e. in singulis individuis humanis, quia homines valde differunt: a) vi intellectus naturali, b) dispositione et inclinatione voluntatis ad scientiam acquirendam, c) mediis cognitionis, quae requiruntur ad veritatem cognoscendam (occasio, fortuna, libri, magistri etc.).³⁾

Thesis XIX: Progressus infinitus et „Transformismus“ est reprobandus.

St. qu.: Duplex in hac quaestione error est vitandus: 1^o eorum, qui cognitionem nimium *coarctant*, et quidem a) quoad *intensionem*; et sunt Sensistae, Sceptici necnon Kantiani docentes, nos rerum naturam nullo modo cognoscere posse; b) quoad *extensionem*; et sunt vel Idealistae, qui negant, nos percipere obiecta ipsa sensibilia tum propria tum communia; vel Materialistae et Positivistae, qui omnem rerum immaterialium, vel causarum, vel finium in rerum natura certam cognitionem in dubium vocant. Unde celebre illud effatum du Bois-Reymond de septem „mundi aenigmatibus“: „Ignoramus et ignorabimus“ est reprobandum;⁴⁾ c) quoad *veritates religiosas*; sunt enim, qui doceant, rationem humanam peccato corruptam non iam aptam esse ad veritates fundamentales religiosas cognoscendas, ut Wickeff, Huss, Luther, necnon Traditionalistae.

2^o Error eorum, qui obiectum cognitionis nostrae tum intensive, tum extensive nimium *extendunt*, est reprobandus. Ac primum quidem *progressismus*, qui putat, progressum hominum in scientiis (et virtutibus) acquirendis esse continuum et infinitum. Quam sententiam post Thomam Campanella plus minus sequebantur: Baco de Verulam, Cartesius, Pascal, Condorcet, Lessing, Kant, praesertim

¹⁾ Metaph. I, 10 (alii II, 1). ²⁾ Cfr. Hagemann, Noetik⁴, p. 202; porro Ioh. Huber, Idee d. Unsterblichk., p. 56 sq.; Schiller, Das Bild von Sais. ³⁾ Cfr. v. Hertling, Grenzen der mechanischen Naturerklärung, 1875; T. Pesch, Die gross. Welträtsel, 1883 n. 10—36; Dubois-Reymond: Die sieben Welträtsel, Die Grenzen des Naturerkennens. ⁴⁾ Cfr. supra pag. 255 sq.

vero Hegel eiusque in hac quaestione asseclae: Cousin, Iouffroy, Leroux, Saint-Simon, Laurent etc.¹⁾ Iam vero constat:

I. *Progressum neque esse infinitum, neque continuum*: 1. *non infinitum*, quia a) hominis natura et intellectus, etiamsi omnes homines simul sumuntur, semper erunt finita; b) quia mundi existentia neque a parte ante nos, neque a parte post nos est infinita.

2. *Non continuum*, a) quia multum pendet a capacitate hominum valde variabili, a dispositione et inclinatione voluntatis *liberae* ad scientias acquirendas (moribus corruptis etiam scientiae negliguntur, vel aberrant a recto tramite), a conditionibus loci vel temporis (bona vel adversa fortuna, calamitates privatae et publicae; bella musis inimica). b) Porro testatur *historia*, gentes antiquas et religione et moribus temporibus posteris saepe superiores fuisse, gentesque olim scientiis et artibus florentes (e. g. orientis) hodie quasi ad novam delapsas esse barbariem. c) Hoc maxime patet consideranti gentium *religionem*, *mores vitamque honestam*, qua homini finis et dignitas potissimum continetur. Constat enim, gentes priscas, quamvis scientiis artibusque non essent imbutae, religione (monotheistica),²⁾ moribus et virtutibus temporibus posterioribus praestantiores fuisse; constat, scientiis et artibus florentibus religionem, mores publicos et privatos saepe fuisse valde corruptos; sic tempore Platonis et Aristotelis Graeci et maxime Athenienses voluptatibus inhiabant, superstitionibus erant dediti, gentes exteris tanquam barbaras despiciebant, servis, infantibus et mulieribus vix honorem humanum tribuebant. Quid, quod ipsi philosophi non solum mire inter se dissentiebant, sed suis ipsorum praecepsis moralibus non obediebant?³⁾ Et quis nescit, nostro tempore, quo adeo profecti scientiarum gloriantur, homines moribus privatis et publicis, amore proximi, sobrietate, continentia, fidelitate, pace et tranquillitate interna certe non meliores esse saeculis elapsis; immo ex moribus corruptis hodie fundamenta ipsa civitatum labefactari periculis „socialismi“ ubique exortis? Progressus igitur ille continuus et infinitus, quem positivistae somniantur, historiae manifeste repugnat.

Unde patet moralem extitisse revelationis divinae necessitatem 1^o ratione intellectus: a) ad veritates omnes *necessarias* etiam naturalis religionis b) *certo cognoscendas* et c) ab *omnibus hominibus* tum eruditis tum rudibus 2^o ratione voluntatis: ad has veritates a) *cum auctoritate tradendas* b) *sanctione praemii vel poenae efficaciter confirmandas*.⁴⁾ Neque solum certitudine de Dei ex-

¹⁾ Cfr. Hagemann, l. c. p. 197. ²⁾ Cfr. Gutberlet, Lehrb. d. Apologetik I, p. 60 sq.; porro Fischer, Heidentum u. Offenbarung, p. 335 sq.; Lüken, Trad. d. Menschengeschl. ³⁾ Cfr. Cicero, Tuscul. I, 11; II, 4; de leg. I, 20; de divinat. II, 58. ⁴⁾ Cfr. S. Theol. II, II, qu. 2, art. 4; Gutberlet, l. c. II, p. 24 sq. Disteldorf, Compend. theolog. fundam. p. 48 sq.

istentia et providentia, de nostro fine et morum obligatione homines indigebant, sed c) *exemplo vitae honestae*, quo in omnibus temptationibus et periculis ad imitationem suaviter incitarentur. Quod quidem Plato tum in Phaedone, tum in Apologia Socratis aperte fatetur, Deum aliquem venire oportere, qui nos erudiat et per vitae huius procellas ad portum securum ducat. (Cfr. Lüken, Traditionen d. Menschengeschlechts, 1869², p. 339.)

II. *A fortiori „Transformismi“ reiciendus est error: verum decursu temporis posse fieri falsum et vice versa.*

Hunc errorem Protagorae sophistae († 416 a. Chr.) et Empedoclis evolutionalistae (c. 500 a. Chr.), duce Comte positivista, temporibus nostris Spencer¹⁾, J. St. Mill²⁾, Paulsen³⁾, Ostwald⁴⁾, aliique multi renovarunt statuentes, non esse veritatem necessariam, absolutam, sed solum relativam, ita ut quod nunc verum habeatur, futuris saeculis, mutatis conditionibus hominis tum externis tum internis, posset esse falsum et vice versa; immo, quod apud nos in terra verum est, in regionibus loginquis stellarum falsum esse posse J. St. Mill arbitratur. Quemadmodum secundum theoriam Darwinianam omnia viventia in continua evolutione perpetuoque sint progressu ad perfectionem, sic etiam nullam esse veritatem immutabilem, sed variabilem, fluentem. Unde non mirum est, quod haec theoria Spenceri maxime Darwinio probabatur. Hanc autem sententiam Neo-Darwinistae et Socialistae applicantes ad ethicam, nullam docent normam esse absolutam et immutabilem honestatis, sed honestum esse, quod

¹⁾ Cfr. supra pag. 255 sq. ²⁾ Pesch, Inst. log. II, 2, pag. 427. ³⁾ Cfr. Laach. Stimmen, 1903, p. 179 sq.: „Die moderne historisch-genetische Denkweise hat die absoluten Wahrheiten überhaupt aufgegeben . . . Die Wirklichkeit ist in beständigem Fluss, ihr folgt die Erkenntnis. Wie alle Formen des Lebens und Daseins, so sind die Formen des Denkens selbst nicht absolut, sondern „historische Kategorien“.

⁴⁾ Vorlesungen über Naturphilosophie, 1902: „Raum, Zeit, Causalität . . . sind durch eine lange Entwicklung erworben und durch Vererbung gefestigte Denkmethoden, die unter andern Umständen auch wohl anders hätten ausfallen können“. p. 296: „Vielleicht gelingt es einmal einem kühnen und selbständigen Geiste, sich von den bisher üblichen Denkformen Zeit, Raum usw. unabhängig zu machen, und andere zu finden, welche dasselbe oder auch mehr leisten . . . Aber ein dahin gerichtetes Experiment wäre ein Wagnis; denn wenn es gelingt, könnte es dem Forscher vielleicht nicht mehr möglich sein, wieder in seine früheren Denkwege einzulenken. Er würde dann nur zu leicht die Möglichkeit der Verständigung mit seinen zurückgebliebenen Genossen verlieren und die „Nervenheilanstalt“ wäre von da ab sein Los auf Erden.“ p. 308. — Contra Eucken, Geistige Strömungen der Gegenwart, 1904³, p. 199: „Ein Wahres für heute und morgen ist ein Urding; was irgend wahr ist, das gilt für alle Zeit . . . Auch was wir als gut erachten und schätzen, das gilt damit als wertvoll . . . unabhängig von aller Zeit.“

quibusque temporibus apud singulas gentes moris sit.¹⁾ Iam vero haec theoria repugnat:

A. *Ex parte obiecti cogniti*: Ut enim quod nunc verum est, falsum fieret, deberent res vel ita *in se ipsis* mutari, ut contradictorie vel saltem contrarie sibi ipsis evadant; vel saltem modo contradictorie sive contrarie diverso ab eo quo nunc apparent, *sese nobis manifestare*; nam verum et falsum contradictorie vel saltem contrarie sibi opponuntur. *Atqui* utrumque repugnat.

Nam 1. res non *ex seipsis* in contradictorium vel contrarium mutari possunt:

1^o *Non res existentes*: a) *Ex natura actionis*: Operatio sequitur esse, i. e. debet esse proportionata principio operanti, neque potest tendere nisi in bonum operantis. *Atqui* si res ex se ipsis tenderent in contrarium vel contradictorium sibi, illa actio responderet neque naturae operanti, tendit enim in alteram naturam; neque eius bonum produceret, immo in eius destructionem tenderet; esset igitur actio sine ratione sufficiens et sine fine operantis, quod repugnat naturae actionis. *Ergo* res existentes non possunt ex se tendere in statum naturae suae oppositum. b) *Ex experientia*: Constat, res existentes omnes tum anorganicas, tum organicas ex necessitate naturae tendere ad se conservandas et perficiendas, tum quoad statum accidentalem, tum praesertim quoad statum essentiale, ita ut potius pereant, quam ut naturam suam immutent; neque unquam species, i. e. metalli sive plantae sive bruti in aliam speciem naturalem e. g. canis vel bos in equum transit.

2^o *Non res possibles*: Nam quod nondum existit, non potest se ipsum actione sua immutare. *Atqui* obiectum proprium conceptum nostrorum non sunt res, in quantum existunt, sed naturae rerum universales, in quantum semper, ubique et modis indefinite multis possibiles sunt; e. g. conceptus trianguli, circuli etc. *Ergo* obiectum conceptum ex se est immutabile.

2. *Res non ab alio, i. e. ab auctore naturae intrinsecus mutantur quoad naturam*. Nam res tum existentes tum possibles sunt imitationes divinae essentiae, ac proinde si natura rerum in oppositum mutaretur, etiam divina essentia deberet intrinsecus immutari, quod impossibile est. Unde ne Deus quidem omnipotens potest rerum essentias immutare, quia intrinsecus repugnat.

3. Neque res modo illi, quo nunc se manifestant, contradictorie vel contrarie *opposito nobis* apparere possunt. a) *Ex natura rerum*:

¹⁾ Cfr. Pastor bonus, 1898, I, II, III, „Moderne Moralisten“; Phil. Jrb., 1895, p. 354 sq.; 1900, p. 216 sq. Fonsegrive, Stellung d. Katholiken gegenüber d. Wissenschaft, p. 32 sq.

Manifestatio rerum est earum operatio eaque dignissima et maxime a natura intenta. *Atqui* operatio sequitur esse, sicut effectus respondet causae. *Ergo* res non possunt alio modo se manifestare, ac revera in se sunt.

b) *Ex historia*: Constat, per tot saecula usque ad nostrum tempus veritates nullas subiisse immutationes, e. g. veritates mathematicas, pracepta logica, leges morales etc.; homines eodem semper modo cogitasse, quo nunc cogitamus. *Ergo* sententia opposita gratis asseritur et factis repugnat.

B. Repugnat eiusmodi veritatis immutatio ex parte *subjecti cognoscentis*.

Prob. 1. *Ex natura veritatis*: Nam veritas logica est conformitas mentis cum re cognita, ita ut res cognita sit *mensura cognitionis*. *Atqui* ostendimus, rem ipsam intrinsecus quoad naturam immutari non posse; mensura igitur veritatis obiectiva semper eadem manet. *Ergo* neque conformitas mentis cum re, i. e. veritas logica intrinsecus immutari potest, ita ut verum fiat falsum.

2. *Ex conscientia nostra*: Constat testimonio conscientiae, veritatem nullo modo a nobis dependere, neque nos esse mensuram veritatis, et verum esse, etiamsi nullus homo existeret vel illud cognosceret. Immo conscientia testatur, nos cogi ad assensum praestandum, si verum evidenter apparet, licet non velimus assentiri, nobisque persuasum est, $2 + 2 = 4$ semper fuisse et futurum esse in aeternum. *Atqui* conscientiae in hac re testimonium fallere nequit; nam conscientia nil aliud est atque ipse actus cognitionis sese nobis intrinsecus manifestans. *Ergo* repugnat naturae nostrae rationali, fore ut verum mutetur unquam in falsum.

3. *Ex falsis suppositis*: Supponunt a) naturam nostram extermam et internam modo Darwinistico paulatim et continue immutari; b) nos primo et immediate non cognoscere obiectum a nobis independens, sed nostras ideas. *Atqui* utraque suppositio aperte est falsa; nam primo theoria Darwini ad originem viventium explicandam prorsus inepta est, et sibi ipsi et factis repugnat; a fortiori vero continua mentis nostrae immutatio est reicienda, quia mens, utpote spiritualis et simplex, non potest sicut materia recipere diversas formas; neque unquam aliqua eius immutatio decursu temporis quoad veritates cognoscendas animadversa est. — Deinde constat, nos nullo modo affectiones nostras subiectivas primo et directe percipere, sed ipsum obiectum. Iam vero quum obiectum idem remaneat quoad essentiam, patet etiam cognitionem nostram rerum, etiamsi homines intrinsecus vel extrinsecus mutarentur, eadem semper fore, quum cognitionis nostra obiectum non immutet, sed sicut in se est, referat.

Ergo etiam veritas, i. e. conformitas mentis cum re semper eadem erit.

4. *Ex absurdis*: Facile patet, sententiam adversariorum destruere omnem idearum valorem obiectivum, firmitatem et necessitatem obiectivam principiorum, quibus ordo et essendi et cognoscendi continetur; destruere omnem scientiam necessariam, universalem, omnem certitudinem omnemque religionem et moralitatem, et perniciosissimum inducere scepticismum, qui est mors naturae rationalis.

Metaphysica.

Introductio.

1. *Definitio*: Homines, non contenti rerum sensibilium appetientia, quid sub phaenomenis, sive post vel trans physicam rerum naturam lateret, iam antiquitus investigare conati sunt. Qua inquisitione in naturam, originem, finem rerum scientia metaphysica orta est. *Metaphysica* igitur est illa scientia, quae res considerat, ut in se sunt, sed sub ratione immateriali. Nomen huic scientiae inditum est ex eo, quod Andronicus Rhodius (c. 70 a. Chr.) disciplinas ad metaphysicam pertinentes post (*μετά*) libros physicos Aristotelis posuit; quod nomen ex loco potius deductum apte tamen obiectum ipsum huius scientiae, sensibus reconditum, designat. Vocatur igitur *scientia*, quia res omnes ex causis suis cognoscere conatur. Obiectum eius *materiale* sunt res omnes quoad illam realitatem, quam habent in se sive in ordine existentiae, sive in ordine saltem possibilitatis. Hoc modo metaphysica differt a logica et ethica, quae res considerant secundum respectum, quem habent ad intellectum vel voluntatem nostram.

Obiectum vero *formale* est ratio immaterialis, sub qua res considerantur. Haec autem immaterialitas potest esse vel *positiva*, si agitur de rebus in se spiritualibus, ut sunt Deus, angeli, anima humana; vel *praecisiva*, si agitur de rationibus obiectivis, quae tum in spiritibus tum in corporibus inesse possunt, ita ut conceptus praescindat a modo, quo res concepta existat, e. g. ratio entis, essentiae, substantiae, accidentis, causae, vitae, finis etc. Utramque autem rationem immaterialitatis et positivam et praecisivam metaphysica comprehendit. Et haec praecisio metaphysica triplici modo locum habere potest: a) mens praescindit seu abstrahit a proprietatibus physicis (proprio sensibili et communi); b) praescindit etiam attributa propria vel essentialia ab invicem (praecisio obiectiva); c) praescindit a statu existentiae et formam a subiecto suo. Hoc modo formantur ideae universales et universalissimae. (Itaque metaphysica differt a physica et mathematica et disciplinis naturalibus, quae qualitates rerum sensibiles considerant, quum metaphysica rerum naturam maxime insensibilem investiget.)